Indice

ORATIO
PRO NOBILI FRANCISCO
DE QVEVEDO VILLEGAS, EQVITE insignis Ordinis Divi Iacobi, Domino Villæ, vulgo vocatæ de la Torre de [redacted] Iuan Abad.

Invectiva in Novatorem quendam Hispalensem Maurum Billium.

Depræcatoria ad Philippum IIII. Hispaniarum Regem potentissimum.

Suplicatoria ad excellentissimum Comitem de Olivares & de San Lucar Ducem.

Pro defensione indivisibilis Patronatus Hispaniarum Divi Iacobi.

Authore Doctore Moran Sminos.

Ad eundem nobilem Franciscum de Quevedo.

DVOS tuos novitios libellos mihi porrectos de patronatu Hispaniarum, unum de politica Dei & Christi gubernatione, alterum dum legerem avidius, & pro novitate curiosus, nescio quid mihi magis arriserit, gravis stupor, an immensa lætitia! stupor, quia in tua liberiori vita, dominatu, opibus, honoribus, & intergerendarum rerum, & magnæ strepentisque familiæ occupationes, omnium liberalium artium litterarum egregia studia, & sublimia sacrarum arcana sis ita comple-

xus,ut rari admodum hoc nostro etiā cultissimo tēpore possint (ut mihi videtur) iure tibi conferri. Lætitia dum video tertiū Senecā in te,& illorū duorū antecedentiū decora tibi servata, aut eundem revixissePlatonem mirabilem,divinum,florētemque,ut erat in vita; sive novum Pithagoram, seu ingentis nominis Socratem,quorū dissertationes, & sensa,ut Oracula venerabantur, quibus ne refragari fas esset. Et quamvis tecum nunquàm eruditissime Francisce fuerim loquutus,nec te de facie noverim,iudico tamen tecum fari esse cum Oraculis fari divinis; te audire, verba vitæ audire,& quamcūque doctrinam,tam divinam,quam humanam,sive carminibus,sive orationi prolatam sugere, atque libare. Tecum tantarum virtutum ultra miraculum homine,cui quidquid potuit,divino cōcessu natura præstitit,pręsentes & posteri fecisse jacturā, nemo sapiēs dubitabit. Ita quoque quis tam ingratus vel invidus de te non gratuletur, & plaudat, hærede pulcherrimo & fælicissimo antiquorū sapientium laudis omnis & gloriæ,quas videris propè iam arripuisse omnes, & sustulisse,non tam stimulis alienis, quam tua aptè agitatus virtute, donoque aflante cælesti.

O beatos tuos familiares, & subditos, atque municipes, qui te communiter audiunt tam multiplici, & summa doctrina, eruditione,& eloquentia fulgentem; quàm rara fęlicitas sit,audi Platonem dicentem, eos populos fieri beatos,quorum maiores & præstantiores, aut saperent, aut omnibus his sapere quærerent. Quid te Francisce habebit istis sæculis nostra Hispania fęlicius, atque splendidius; præcor tibi fælicitatem & tempus, ut virtus tua virtutem generet, sapientia sapientiam, ut sic nostra Hispania omnibus ætatibus tuis admirandis lucubrationibus, evadat fæcundissima.

Hęc ut ad te scriberē, me impulere tui lucidi & sancti libelli, de patronatu S.Iacobi,& de divina politica,qui veraciter docēt,firmiter ædificant,ardēter inflāmant,& undequaque delectant. Ita rem splendore orationis illustras,copia dilatas,facilitate declaras, ut legentis animum mirificè teneas, pietate accendas, & insueta (nescio qua voluptate) perfundas. Hæ enim sunt Christiana lucerna dignæ vigiliæ, hæc ingenij curricula salutaria, his occupationibus occupata mens ad sydera tollitur, his exercitationibus gloria immortalis

mortalis adquiritur. Sed quò provehor?eo, ut non permittam pręclara quibus excellis studia ab ullo sugilari. Me mi Franciſce divini ingenij tui vehemens amoris quidam æstus abduxit, ut in tuas laudes desiderem, tam plenis ire eloquentiæ velis, ut hanc orationem in panegyricum ad te convertere cupiam, & contra tuum sugillatorem in invectivam, sed tu fortaſſe tuis laboribus te ipsum vindicabis, & tandem illustrisſima defensione patronatus sancti Iacobi coronaberis. Dulcius enim munera proveniunt, quoties non sine magnis sudoribus acquiruntur, & minus bonum videri solet pax continuata per otium, quam reddita post laborem. Igitur operepretium te facturum putabo, si omne tuum studium eo potisſimum conferas, ut multiplicibus corruptelis, quas contra te, & contra Divinum patronum hisce diebus novator Hispalensis in publicũ misit, investigatis,& quantũ quidẽ per occupationes licuerit,& per totã Hispaniam antipologias mittas,& in lucẽ respõdeas, aſpectumque sapientum proferas: ut sic centuriatorem petulantem istum præcipites. Etenim in eius scriptis non pauca videri licet,quæ ob insignes historię sancti Iacobi depravationes, aliasque perversas interpręationes,quas in posterum insinuabo, partim iustam indignationem, partim vero commiserationem pijs omnibus non mediocrem merito adferant? Quis de Divi Iacobi patronatu bene sentiẽs,ęquo animo ferre poterit, quod audacisſim⁹ homo hic omni antiquitate contẽpta,& cõmuni piorũ iuditio sępe repudiato, hãc veritatẽ,qua nihil nobis antiquius & certius esse debebat, ad sectas novas cõtra veterẽ & piã doctrinã corroborandas, & ad prava dogmatũ instituta cõfirmanda, omni abiecto pudore rapiat, malitioseq; cõvertat? Quẽ autẽ nõ misereat istũ ex authorũ impuris lacunis,aquas minime salutares haurire, & pro antidoto exitiale venenũ bibere? nec solũ horas bonas in huiusmodi cẽturijs & apologiis scribẽdis perdere, verũ etiã Christianę devotioni magnũ facere detrimentũ,cũ & aniles fabulas non excuset,Divinum Paulum consiliatorem contemnens,& monentem ut à falsis doctrinis mentem avertamus, & vanis spretis, ad pietatem nos exerceamus, & vanà docentes, profanaque innaniloquia non devitantes effugiamus. Multum enim (ait) proficiunt ad impietatẽ,& sermo eorũ ut cãcer serpit. Tu ergo induere divino eius eloquio,insta oportunè, ar

gue; obsecra, & increpa in omni patientia, eos qui sanam non sustinent doctrinam, sed ad sua desideria sibi magistros coacervant, prurientes auribus, & à veritate auditum avertentes, ad fabulas cõvertuntur: serva fidem nostro Iacobo, Hispaniarum fælici patrono, & quod assumpsisti institutum, tuumque fecisti, imple, & ita Deus omnipotens coronam iustitiæ, & pietatis tibi reddet; & tanto minus huius operæ te pœniteat, quanto magis confidere potest usum & fructum consequuturum, gratumque tanto Divo, & Deo, sanctæq; Teresiæ futurum. Nam vere fabulosum comentitiũ, ac frivolũ habendum est, quidquid vafer iste veteris pietatis hostis ad corrumpẽdam veritatis sinceritatem admiscet, & quidquid pro suo privato cõmodo, & desiderio ad cõmunem totius Hispaniæ sensum eludẽdũ excogitat, &quidquid eruditionis prætextu, & tegmine cõmendatũ iudici populo vanagloriosè dictitat, scriptitat, & inculcat. Ad tuã ergo observantiã, & cultũ pertinere putavi (præstantissime vir) novã antipologiã, tepentem adhuc ex prælo sine mora in publicum mittere, quas ego etiã facere desideravi nimis, sed me tenuem esse fateor, & pluviarũ Doctorũ doctissimorũ gutulam, pedestrẽ adhuc humique repentẽ: Vas minimũ, quale ego sum, nec dimidij modij, modios multos cõtinere nõ potest. Tua igitur authoritas, quæ summa est, efficiet, ne semen quod fecisti, vel ab spinis præfocetur, vel à volucribus cæli comedatur, vel ab isto Camaleonti vano, quavis plumula leviori cõculcetur. Omnis hominis vita (ait Plato) nemorosa quadã indiget consonantia, ad quã, & in extrema senecta luet honeste contendere; sapientiæ veritas, nec rugosos, nec panosos fastidia reprobatione dignus est ille, qui fructus perferre parvi pendet, nihil sane stolidius, quam si mens ad perfectiorẽ sapientiã festinare non contendat; scio enim quanta prudentia sis, nec ad stilũ, nec ad huius arrogantis correctionem tibi quidquam defuturum.

Vide quousque huius progressa sit impietas, qui tam temerè, & libere de patronatu Divi Iacobi cõmiscendo & detrahendo, atq; de alijs rebus tam malè sonantibus loqui nõ reformidat. Goliatẽ istũ in fronte te percussurum, & eius postremum agmen infestaturum spero; cogat te iterum docere charitatis necessitas, quem invitavit veritatis suavitas; alta est, & erecta huius Filistei cervix, nec quia cecidit approvans propositiones temerarias de hominum naturali generatione,

ne ratione, ablato Adami peccato, ideò inflexa est, tumens animus, & superbus, nec his erroribus convictus, fractus est; vulneratus iacens, stantibus, minacibus oculis intuetur, noviter illum opprime. Ipsa causæ bonitas te eloquentē faciet eloquentissimum; ad hanc causam defendendā ipsa veritas sola sufficiet. Adversus audaciam lis est, adversus stultitiā responsio, quāvis difficilima sit stultorum emendatio. Superba est altumque petit illius apologia cōtra te veritatis amatorem, facilè præcipitabitur. Non multis armis opus habet veritas, non multis ictibus deijcitur falsitas, nam quæ à veritate non veniunt, plerumque è nullo impellente se ipsa subvertunt, nihil est facilius redarguere quam mendaciū; gloriosum victoriæ genus est (ait Hilarius) ab eo cum quo discertes arma capere, & firmum probationis testimonium quod ab adversario sumitur. Capias suam propositionem de Adamo anteaquam peccatum perpetrasset, & virum hunc rixæ virum discordiæ magnum errorem approvantem appræhendes, & multa colliges, antiquorum scriptis, Patribus, rationi, pudori, gravitati, pietati, honestati invicem valdè adversa, & in hoc genere labora, ut sanctorum veterum & iuniorum placitis, & testimonio vincatur. Maius dari munus nemini posse iudico quàm cui datur, ut noscat se ipsum, non enim amabit vitia, qui cognoscit ea, collirium quæret qui se cæcum sentiet, surgere contendet qui se cecidisse videt, redibit in viam, qui se aberrasse cognoscet, admittet sectionem, cui gravitas morbi fuerit ostensa.

Sed si eò ascendit huius superbia, si eo procedunt discrepantiæ, levitates, & errores, ut hæc sibi demonstrare, sit (ut aiunt) calcitrare contra stimulum, summe acutum gladium, & lapidem contra illum, hoc est fundamenta valida, tuasque rationes.

Quinque limpidissimos lapides de torrente elegit sibi David, sed uno Goliatem stravit, tulit lapidem unum, & funda jecit, & percussit in fronte. Tulit gladium Philistæi, & eduxit eum de vagina, & interfecit eum, præciditque caput eius. Babilonem hunc sito positum iri in tumulum, hoc vanum edificium in ruinam confido, si tu vir bone opifex fueris. Vide inter interpretationes suas, iniquam illā quam approbat, super locum, *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Iam ut hic miles clarius in campo triumphet, sua in hunc locum interpretatione tibi bellum movet importunum, asserens probabilem

babilem esse aliquorum sententiam, opinantium in statu innocentiæ, nec futuras esse nuptias, nec generationem filiorum per conjũctionem maris, & fœminæ, sed alio quodam modo multiplicandos fuisse angelorum instar, iudicans temerè matrimonium in illo statu habiturum turpitudinem. O incautam, & insonantem propositionem, nonne Eva & Adamus ante peccatum iuncti fuerunt matrimonio, cùm dictum fuerit illis à Deo Optimo & Maximo, *Crescite & multiplicamini, & replete terram*. Nonne omnes eius posteri peccaverunt in ipso, & privati sunt iustitia originali, quæ per carnalem propagationem in posteros erat trasfundenda? quorsum capillis suis hæc tibi opponit. Legat per otium extra crepidam; Patrem Didacum de Granado Societatis Iesu doctisimũ, & ex illo quærat Divum Augustinũ de hac assertione dicentem, se nullo modo dubitare; & sanctum Bonamventuram esse veram absque dubio, sanctum Thomam contrariam non posse dici rationabiliter, Molinã esse minus tutam in fide; & Corneliũ Fabrum Stapulensem, ut errantem, & somniantem condemnat, qui affirmat si Adam non peccasset, ex se sine fœmina sibi masculum peperisset; Castro inter hæreses numerat hanc confutatam sententiam, & ait à Guidone Carmelita inter errores Armenorum numerari; & Valentia inter errores Almerici damnatos ab Innocentio III. statuit; denique S. Augustinus iterum inter hæreses Adamianorum recenset, quid plura?

Hos igniculos ut te incendant, & in arenã descendas admoveo, quamvis maiores addent Divi Iacobi honores, & antiquissima regum memoria, & monumenta, ut pro ipso sapienter, & ingeniosè differtes, siquidem ipse pro tota Hispania gladio contra Mauros discertavit. Si hæc non sufficiant, ad veteres etiam illos pios antiquissimos Christianorum affectus te conferre poteris, qui ante natã hãc patronatus dissidiã lõgè alio & meliori spiritu ducti, se rem immortali Deo gratam, & officiũ Christianis hominibus dignũ facturos esse putarunt domũ Divi Iacobi, sepulchrumque eius Cõpostelensem suis donis locupletare *facto voto*, quod vulgariter *de Santiago* vocatur. Hoc enim velut in tabella spectandũ proponebant, & eorum studiũ & institutũ per varias ætates divinitus excitatum ad nostri S. Iacobi honorẽ conservandũ, atque cõfirmandũ quasi cõspirasse, ac nobis etiam iam ministrasse videbantur; providebat haud dubiè

Deus

Deus Omnipotens magnum illum Archiepiscopum insignem, nobilem Petrum de Castro & Quiñones, providebat alterum Archiepiscopum Compostelensem eruditissimum, providebat nobilem Franciscum. Doctissimum Canonicum Hispalensem, providebat te ipsum, providebat alios male sensituros, & scripturos contra extremā hanc delirantem impietatem, furentemque sententiā religendi hūc novum, & hucusque nunquam auditum compatronatum, quē antecedentibus ætatibus ad alios viros nostræ Hispaniæ Confessores, Martyres, & Religionum sanctissimos fundatores Hispani transcribere poterant, & nunquam nec per somnia pensitarunt.

Sed videant extra affectum omnes quo nomine, qua ratione patronatus nomen competere potest Divæ Teresię; nam si quæramus ex iure, Patronus non tantum dicitur cui libertus subijcitur, sed etiā defensor eorum quos in clienta habet, primumque locum post patrem in officio apud clientem obtinere patronus debet; hinc & iura patronatus, quæ vel in libertos habemus, vel inclientes, quorū hodie instar obtinent, quos Hispana voce vocamus *vasallos*; & hac ratione suæ sanctissimæ religionis tantummodo Divam Teresiam patronam nuncupare fas erit; & Divum Iacobum universæ Hispaniæ, qui tam facto pugnans pro Hispania, quam verbo Regem Ramirū confortans hæc dixit: *Non ignorabis, ò Rex, quod Dominus noster Iesus Christus alias Provintias alijs fratribus meis Apostolis distribuēs, universā Hispaniā meæ tutellæ per sortem diputasse, & meæ cōmisisse protectioni.* Si hæc ita se habēt, nō erit ab re in inimicorū expugnatione, quādo Hispani fiducia magna Divū Iacobū acclamāt, & illis nunquā fefellit spes, noviter istā sanctā virginem (cuius inspirationē humili te ad hoc scribendum devotissimè imploro) Iacobi loco acclamare? quorsum tam in usitata res quando solum suæ religionis conservatione, & patrocinio gaudet. At mihi novator quasi per febrem somniare videtur nomen patronæ illi competere; nam si relicta iuris significatione, quam ex Alciato attulimus, & Vallam se verū linguæ Latinæ sensorem consulamus, videbimus multo rectius illū grammaticum quam hunc vanagloriosum de significatione patronatus sensisse, cū in hunc modum Valla scribit. *Quicunque alteri adest in causa officij gratia advocatus appellatur, etiamsi nihil dicat, nec agat, qui verò causam agit hunc Latinis patronum proprie dici.* Advocati autem nomen esse generalius

neralius docet; sed utrumque nomen advocat, & patroni confundit novator, nec animadvertit Divæ Teresiæ solum convenire, religionis recollectę Carmelitarum esse patronam: at Divus Iacobus divinitus per Iesum Christum, sciens & volēs fuit electus patronus, ac eo ipso non tantummodo provinciæ Compostellæ, sed omnium Hispaniæ Christianorum causam agebat, ac redēptionem universæ complendam fidissime procurabat, & ipsi redimendæ quasi fundamenta perstruebat. Omitto alias significationes quarum nulla Divæ Teresiæ accommodari potest præter eam, quæ suæ religioni cōgruenter adaptatur; nec facile erit inveniri in authoribus sacris & profanis nomen patronæ alicui mulieri convenire, excepta Deipara Virgine. Divo autem Iacobo omnes dictæ & omissæ iustissimè, & adæquatè conueniunt. Si hæc non sufficiunt, tu amplius Francisce doce, tempus est recta docendi, & dedocendi prava, pium erit de errore admonere etiam si non possis errantem in viam introducere; multa sunt digna revinci, ne gravitate eruditionis, & pietatis tegmine adorentur; veritas est pro te, inimicum cognoscis: victoriæ pars est arma & ingenium hostis explorata habere: cupit enim tergi versator iste divino Iacobo patrociniū derogare pro certis evulgans commentitia & mendacia venditans & dubia; non enim mendacium poterit præiudicare, nec vana commenta celeberrimis ac stupendis miraculis per universam Hispaniam contra Mauros factis incommodabunt, nec falsitatis sateles ad suum impium institutum ornandum, & si imposturas invehat & ostentet, officiet tam admirando patrono. Veritas enim est vis animæ, se ex se ipsa statim proferens, unde indefinitæ animæ vires propagantur. Et amplius ad aliquorum malitiam coercendam, ne vera falsis permisceant, ac eo ipso dedocerent pietatem, spero Summum Pontificem recognosciturum, & de hoc negotio iudicaturum ea quæ (adhibitis in consilium Theologis, multisque viris bonis) veritati, & tam illustrissimo Sancto consentanea, quæ apochripha vana frivola, ementitia adulterina esse videbuntur. Non enim facesset profana eorum temeritas qui de sepulchro tam iniquè sensent, ac in exilium Divum hunc relegant, & illum a Compostella tollunt, & nunc comitem sanctam Teresiam sibi in patronatu quasi senectute obliti, & confecti indiguè adiunguat, quam certissimè iudico hoc egrè laturam, gaudens solum

ſolùm recollectæ ſuę ſanctiſsimę Religionis eſſe patronam & fundatricem.

Cur ergò exiſtimationē lędunt, quam tenet in Eccleſia Catholica conſenſus omniū populorū, & quod authoritate miraculorū, non tā veterū tantū, ſed etiā noviter in Compoſtella vigentium in hunc uſque diem confirmatā? Cur lividus adverſarius tantū ſplendorem quem in ſua ſpelunca tenebroſa, haud ſine moleſtia queit aſpicere, turpiter defedat? Cur quæ univerſalis Eccleſia tot retro actis ſæculis, non ſine ſumma religione colit, abolere modo contendit? Si ergo ab huius impoſturis cavere placet, in ea firmiter acquieſcamus oportet opinione, quæ indiviſibilē patronatū Iacobo tribuit, coniunctione tot ſignorū, & miraculorū maieſtate cōfirmatū, quidquid demum iſta rana coaxet. Et quamvis Divini Iacobi defenſio interclusa non reſpirare videtur, & in caligine obſcura nunc verſetur tot convitijs, totque ſtrophis ſugilata; tamen in turbine tantorū malorum lucebit amplius, lucebritque in perpetuū, ſæpeque vultum ſuū prębebit nitetentem, ſydereamque luſtrabit faciem; imo tanta eius ſerij exploratores præhendentur dulcedine, etiam neglecta tergiverſantium malitia, vt eius ęſtus fęlicia abſorbeat ingenia, menteſque divinitus trahat & alliciat. Tu vero Franciſce, qui tanti ſancti inſigniam in enſe figuratam in pectore portas, eius alectus decore, amore pariter accenſus ei ſemper vacabis, & frequenti vigilia, ameniſsimos huius veritatis agros fecundiſsimos adverſus viperinas inſanias colere ſtudebis, florida iugiter vireta excolere, mox odoriferos legere flores, coronas tibi texere, polianteas cōponere, denique ex eius ſumma ubertate, & ditiſsimis ſacrarijs opera tua cōſtrues.

Et novatorem hunc, qui ſe fortem Achilem eſſe putat, & ſuis obtuſis, & facile conſtringendis ſpiculis te debellare contendit, garrictem, & ut Momus arrodentem noviſsime te infeſtaturū ſpero.

Revertamur nunc ad te ò Philippe Rex potentiſsime, Princepſque ſereniſsime, qui admirabili ſocietate tuos omnes copulas, & cōſervas, & qui celſitatem Divi Iacobi aſpiciens his temporibus egentem, & multiplices eius debitos ad tuā celſiſsimā præſentiā coactos devenire, opem, & auxilium tanti Regis implorantes, ut huic ſuccurras calamitati; facias quod compatronatus Divæ Tereſiæ perpetuo tradatur ſilentio, & in æternam oblivionem relegetur; quod

præteritis

præteritis annis à Catholicissimo patre tuo certissima erat,& planè explorata spes obtinendi; tamen cum regnorum, & imperiorũ suorum maximis & necessarijs occupationibus ita distentũ videremus, & à curis,&solicitudine maiestatem suã augustissimam,nec minimũ temporis abducendã,avocandamque sine offensione orbis terrarũ, & inconsiderantia nostra maxima apud animum nostrum statuere valeremus, pro tunc destitimus: & postea audita eius morte, sic universalis Hispanorum respublica animo consternata fuit, ut nec cor,nec mens satis suo fungerentur officio,quòd tantum lumen de mundo eo tempore sustulerit,tantumque Hispaniæ ornamentum, & tantam ætatis nostræ gloriam (nulla habita nostri ratione) succiderit. Nunc ergo à te (Rex integerrime,qui patris tui hæreditate posides) hoc spectamus, hoc requirimus, teque ipsum imploramus,alteram tanti Regis parentis effigiem,& expressam imaginem pietatis,& beneficentiæ,omnisque generis ornamentorum, quibus Principes potentissimi ornari solent,non adumbrata, sed expressa suæ futurę claritatis signa,quibus tanquam in herbis non falacibus, sic iam fructus uberes, atque præstantes apparent, ut quo amore, qua liberalitate tui progenitores Divum Iacobum prosequuti sunt memores beneficiorum,quibus semper universam Hispaniã affecit, earundem tu memor,regia & excelsa avorum liberalitate, & pietate prosequaris;& te videant omnes,sic faciendi avidissimum,recognoscant, atque prædicare non desinant: ut iam quod de Macedone Rege terrarum orbis victore Alexandro Magno in ipso iuventutis flore,acceptis suorum imperiorum,gubernaculis; id de te ipso speculo maiorum tuorum fulgentissimo:cum summa nostra fęlicitate gratulari posimus. Vt enim Salomon mente cælesti,& divina sapientia conservandæ pietatis paternæ spe,& religionis suæ amplificandi Davidi succesit; sic tu Quartus Secundo & Tertio tuo nomine Philippus,solida patris & avorum virtutum imago, Hispaniarũ imperijs afulgens succesisse videris. Qua propter animo constitutum ac deliberatum habere debes sanctum Iacobum summis honoribus afficere,atque erga illum hac pietate, tanquam margarita preciosissima,& eximio fulgore colluscente regium tuum illustrare diadema? Legant omnes de te in annalibus omnium gentium, & nationum favores eximios & viriles affectus quibus Divum Iacobum

bum extollis, omnium qui per ætates ac fæcula ante te, & post te apud cunctos Hispaniarum Reges floruerunt, maximos esse, & ad suam amplitudinem pervenisse; ita Deus Omnipotens, & ceptis tuis annuat, & succesibus faveat, nomenque tuum Divus Iacobus in universa terra, & in extremorum gentium ac nationum angulos celebrare, ac propagare facias.

Et tu Dux integerrime, cui Regis negotia omnia tuæ sunt curæ, quique ipso potentissimi Philippi colloquio à latere ob maxima tua merita semper uteris, & tanti Principis gratia propria virtute dignus haberis & prædicaris, tetricam istam, superbam elatam, petulantemque vanitatem huius hominis deijce, & putida quæ scripsit, & hominis cordati & sapientis indigna recole, & in ignem eijcito. Fac ut illi (quos pro sua reverentia taceo) in viam reddeant, mẽtemque saniorem suscipiant, & quos pro novando patronatu desiderium, velut ex curriculo detorsit, multis alijs favoribus suã nostramque sanctam Teresiam (hoc uno excepto) honora, & amplifica, & Divum Patronum, quem bene volentissimo animo universalis Hispania à primitiva Ecclesia usque in hodiernum diem est in suum patrocinium amplexa, in tuam fidem reverenter committimus, simulque à Deo Optimo & Maximo præcamur; ut te hospitem diu conservet, atque tua Excellentia cum longæva vita bene semper fortunet.

Dixi.

f. pedros sanch
delos frailes menores dela
reguelar oservançia

142

42